

plectrum divina gratia. — (52^a) ne dissonantia fiat in cythara, chorde simul tendi simulque remitti debent. chorda, si minis tensa fuerit, facile rumpitur; si nimis remissa, musicam impedit. chorde prius siccantur, deinde in cythara tenduntur. — clavi cythare inferiores rotundi esse solent, superiores vero solidi. — (53^c) sicut alibi me dixisse memini, perfecti monachi diversorum ecclesie ordinum virtutem in suis moribus et actibus spiritualiter representant. sicut enim in oratorio angeli, in lectione theorici, in communi vita apostoli, in labore manuum martyres, in capitulo confessores, in dormitorio virgines, in refectorio continentes. — (55^c) cum diabolus fuisse legatur in morte Moysi et, quod magis ostendit ejus superbiam, in morte creatoris sui Christi,¹ quem in morte non accusabit? quem in morte negliget? — (55^d) servus dicitur a servando, eo quod captus ab imminente servetur interitu. — (56^b) sicut patet ex diversis visionibus, electis et jam perfectis personis in morte demones valde infesti sunt, eos in minimis accusantes et eorum iter ad Deum, in quantum valent, impediens. — (56^d) de quibus (dissipaverunt legem tuam²) plurima introduci possent exempla, si sermonis brevitatis illa admitteret. — (57^b) magna siquidem hodie est, sicut scitis, non solum apud Deum, sed etiam apud homines gloria sanctorum patrum, Benedicti scilicet, Ruberti (= Robert von Molesmes) et Bernardi propter Ordinem monachorum; magna gloria beatorum patrum Augustini et Norberti propter regulam canonicorum regulariter viventium; magna gloria sanctorum Dominici et Francisci propter ordines, quos ipsi instituerunt. ad hoc enim singulis annis et in singulis provinciis (57^c) capitula et concilia celebrantur et visitationes fiunt, ut ordinum disciplina conservetur et ne a superbis lex Dei dissipetur. — respicite antiqua monasteria religiosorum: quando disciplina in eis viguit, data sunt eis a regibus et principibus hujus mundi libri aurei atque gemmati, ejusdem generis et operis calices, thuribula et alia multa et varia mirique decoris ornamenta, que deficiente religione et ipsa defecerunt. —

¹ Hier begegnet allem Anscheine nach die wunderliche Vorstellung von dem Teufel, der dem Tode Christi zusieht, wie sie sich bei Berthold von Regensburg findet, vgl. meine Studien zur Geschichte der altd. Predigt 7, 115. 140.

² Psalm. 118, 126.